



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Eodem modo atque Maßilienses sentire eos, qui ex nobis concedunt opera
bona moralia esse initium gratiæ, authoritate etiam ostenditur. c. 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tum est: fuit ergo, eius sententia, & Massilien-
sum damnata à sancto Aug. Prospero, Concilio
Arausico secundo, & Celestino primo, ante neces-
se est cum Massiliensibus dicat Scholiastes, Pros-
per. Hilar. Aug. imo & Concil. ipsam Arausica.
secundum, & Celestinum debitum modum ex-
cessisse, & nimium seuerè de gratia Dei fuisse lo-
quutos, quod est absurdum. Tertio, quia cum e-
iusdem sententia fuerint Faustus Regiens. & Cas-
sianus, eodem modo Cassiani doctrina damnata
est à grauissimis viris supra commemoratis, atque
doctrina Fausti in eo, quod asserit, aliquod ini-
tium gratiæ esse ex nobis: sic enim labori humano
Cassianus gratiam subiungit, sicut etiam Faustus.
Quarto, quia sequeretur, nobis sine gratia oran-
tibus gratiam Dei conferri, contra can. 3. & 6.
Concilij Arausici secundi.

Respondet Scholiastes, ibi solum damna-
ri eum, qui dicit, nos posse orare, vt oportet, sine
gratia Dei, hoc est, qui perfectum orandi studium
concedit: id enim denotat illud, *sicut oportet*; ali-
quem tamen orandi affectum, minusque effica-
cem posse haberi sine gratia. Verum Scholiastes
mentem Concilij non calluit: neque enim ibi tam
damnatur, qui dixit, sine gratia Dei nos posse ora-
re Deum pro nostra iustificatione, quam qui as-
seruit, gratiam Dei oratione ex proprijs viri-
bus à Deo obtineri, etiam ex misericordia ipsius,
de hoc enim cum Massiliensibus erat controuer-
sia, cum initium aliquod ex nobis concedebant,
vel orationis, vel laboris, vel alterius cuiusvis o-
peris, vt gratia conferatur. Quare non minus erat,
qui alicui minori initio ex nobis, quam qui per-
fectiori gratiam Dei dicit donari. Vterque enim
labori, & industriae humanæ subiungit gratiam:
quod in vniuersum damnatum est in eo cano. 6.
neque quidquam temperat errorem, si dicamus,
gratiam Dei non ex iustitia, sed ex libera Dei vo-
luntate orantibus, ex viribus proprijs, vel laboran-
tibus donari. Nam Massilienses nunquam dixe-
runt gratiam Dei ita ex iustitia dari, vt negari non
posset: sed ex misericordia & libera voluntate, vt
notatur disp. 89, cap. 5. eorum nihilominus sen-
tentia damnata est, vt supra vidimus.

CAPVT XII.

Eodem modo atque Massilienses sentire eos, qui ex nobis
concedunt opera bona moralia esse initium gratiæ,
auctoritate etiam ostenditur.

Sunt nulli recentiores Theologi, qui vt de-
scendant præcedere ex nobis opera quædam
moralia, quibus ad primum auxilium gratiæ re-
motè disponamur, & illud ex Dei benignitate im-
petremus, sicut antiquiores aliqui docuerunt,
quos capite 10. commemorauimus, asserunt illor-
um sententiam ab errore Cassiani, & Massilien-
sum multum differre: quod Massilienses non so-
lum concederent initia ex nobis, quæ sint opera
bona moralia virtutis acquisitæ; sed opera etiam
virtutis infusæ, & supernaturalis, vt oratione, qua
quis sibi postulat iustificationem; hæc enim est
quid supernaturalis, aut voluntatem & desiderium
iustificationis, & hoc iure damnari: quia opera su-
pernaturalis ordinis arbitrio nudo tribui non
possunt. At, inquit, nullus certe negare, potest,
opera moralia acquisitæ virtutis ex nobis esse an-

Vasquez in 1. part. Tomus I.

tequæ gratia Dei nos incipiat adiuuare; & eis mo-
ueri Deum, vt nobis auxilia gratiæ suæ largiatur.

Caterum non minus mihi falli videntur, qui
his operibus moralibus nos incipere, & Dei gra-
tiam impetrare arbitrantur, quam Massilienses:
omnesque in ea propositione damnata in Concil.
2 Arausico, canon. 6. & à Petro Diacono in lib. de Incar-
natione, & gratia, cap. 8. Labori aut obedientia humana
subiungitur gratia, eodem modo conuenire.

Probatur primo, quia apud Prosper. Angu. Coe-
lestin. Concil. Arausica. aut cæteros, qui contra
Massilienses disputarunt, nunquam hanc distin-
ctionem notatam inuenies: nec minium ex no-
bis initium gratiæ concessam: est igitur figmen-
tum hoc ex proprio horum Doctorem cerebro
depromptum. Secundo Cassianus libro 12. de institutis
cenobiorum, cap. 13. & 14. inter alia initia, quæ ex no-
bis dicit præcedere, numerat virtutes aliquas om-
nino morales, vt vigilias, separationem à conui-
ctu, & alia huiusmodi, vnde in Concilio Arausico
secundo, canone 6. damnantur, qui dixerint sine
gratia Dei laborantibus, & vigilantibus gratiam
ipsam conferri.

Tertio Faustus Regiensis, qui in eodem errore
Massiliensium fuit, libro 1. de gratia. & libero arbitrio
cap. 17. dicit, gratiam Dei requirere hominem iam
præcepta seruantem, vtique decalogi, & moralia,
vt inde tanquam per ansulam quandam, Deus ip-
sum apprehendat: quem reprehendit Petrus Dia-

conus paulò ante citatus, quod labori humano
subiungeret gratiam. Atque eodem modo dam-
nantur in Concil. secundo Arausico, can. illo 6. qui
humilitati, seu obedientiæ humanæ subiungunt
gratiæ adiutorium: intelligit autem Concilium
per obedientiam, obseruationem præceptorum,
quæ quotidie obseruanda occurrunt, nempe mo-
ralia. Ita illorum sententiam refert Prosper in illa

epist. ad Aug. ante medium, his verbis: *Iam hic præ-
ferunt testimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohor-
tatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex
libero arbitrio faciunt, quæ iubentur, aut negligunt. Et
pauca interiecit. Quem bona appetentem gratia Dei
foueat, mala sectantem damnatio iusta suscipiat: id quod
filius ipse ibidem prosequitur. Quis autem dicat,
aut quo fundamento liceat affirmare id solum
Massilienses asseruisse de præceptis supernatura-
libus, non autem de præceptis Decalogi, quorum
obseruationem dicebant esse initium, propter
quod nobis gratia daretur.*

Eodem modo Massiliensium sententiam intel-
lexit Aug. lib. de bona perseverantia. c. 17. vbi cum ostendit,
se, ipsam castitatem prædestinatam esse à Domi-
no gratia sua subiungit: *Quod autem dixi de castitate,
hoc de fide, hoc de pietate, de caritate, de perseverantia, &c.
ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, qua obeditur
Deo, veracissime dici potest. Docet ergo contra Massi-
lienses, non præcedere ex nobis vllam obedi-
entiam, hoc est, vllam obseruationem præceptorum
Dei, propter quam detur gratia, sed ipsam obedi-
entiam à Deo prædestinari: per obedientiam au-
tem intelligit castitatem, & omnem aliam virtu-
tem, qua Deo obeditur, obseruando scilicet præ-
cepta ipsius, quæ etiam est in obseruatione man-
datorum moralium.*

Quarto Massilienses, vt c. 13. dicemus, initium
aliquod ex nobis esse dicebant: primum, ne aliqua
vis inferretur arbitrio nostro, si ipsum gratia præ-
ueniret: nam si arbitrium incipere libertate sua

Ccc 2

bene

95
Cum Massi-
liensibus con-
gruit, conc.
Arausico.

Secundo
Cassianus.

Tertio.

Petr. Dia-

96

Prosper.
Quomodo
dixerint
Massilienses
præceptis ob-
seruantibus
gratiam
subiungi.

Nulla obser-
uatio præcep-
torum præce-
dit vt causa
gratiæ Dei.
secundum
Augusti.

Cur initium
gratiæ ex no-
bis Massili-
enses conces-
serint.

97.

Hilarius.

98.

Nulla ex nobis dispositio
est remota,
ad gratiam
datur.

bene uti, ut gratiam sibi compararet, dicebant gratiam ex nostra libertate pendere: atque ita nos nullam ab ipsa gratia vim pati: deinde ut acceptionem personarum de medio tollerent: concessio enim initio ex nobis aliqua ratio esset, cur uni potius gratia daretur, quam alteri, nec id in solam Dei voluntatem reuocaretur: postremo, ut correptio locum habere posset in nobis: nam si Deus incipere deberet prius, frustra illis videbatur esse correptio, siquidem homo ex seipso non incipit aliquo modo: alia vero ratione initium aliquod ex nobis non concesserunt. Hæc autem tria æque ipsi defendere possent, concedendo initium aliquod ex nobis moralis virtutis acquisitæ, atque etiam infusæ, & supernaturalis; & ad hoc videtur alludere Hilarius in illa epist. ad Augustinum, post med. proponens horum Massiliensium obiectionem contra Augustini doctrinam hoc modo: Nam si sic prædestinati sunt ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? Si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compuncta infirmitatis exoritur, aut periculum demeritate moris horretur. Nam si non potest timere quis, unde terretur, nisi ea voluntate, quæ sumitur, non ex eo culpandus, quod nunc non vult, sed in eo, & cum eo, qui se aliquando noluit, ut eam damnationem cum suis posteris mereretur incurere, ut nunquam recta, semper autem prava vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor, qui ad exhortationem corripientis oriatur, hanc ipsam dicunt causam propter quam vel rejiciatur alius, vel alius assumatur. Quibus verbis plane docet, in hominis arbitrio situm esse, aliqualem ex se habere dolorem, si saltem fidem habere nequeat; & ob eum dolorem gratiam Dei homini prædestinari, & ipsum a Deo assumi, sicut propter oppositum alius rejicitur; & denique posse hominem ex suis viribus aliquid boni operari, ratione cuius donum gratiæ consequatur. Nam si nihil posset, nisi malum; tunc quando homo illud faceret, non imputaretur ei, sed quando cum primo parente facultatem boni operis amisit. Semel autem concessio, hominem ex suis viribus aliquid posse boni, etiam moralis virtutis acquisitæ propter quod gratia ei donetur, iam ipsi Massilienses causam assignarent, cur unus ad gratiam assumatur, & alius rejiciatur, etiam si nullus ratione fidei prædestinaretur; & ita personarum acceptionem de medio tollerent, & nullam vim arbitrio inferri ostenderent, cum arbitrium gratiam præueniret: locum etiam correptioni assignarent, ut homo correptus prius, bene operetur ex suis viribus, & gratiam a Deo impetret.

Ratio vero prædicta non solum probat, nullum opus morale ex nobis, esse initium gratiæ acquirendæ, verum etiam nullam posse dari ex nobis dispositionem etiam remotam, & (ut aliqui recentiores dicunt) improporionatam, seu per accidens remouentem solum impedimenta, quæ dicatur dispositio ad gratiam: nam dispositio ad gratiam, debet ad illam adquirendam aliquo modo disponere: atque ad illius ademptionem aliquid conferre: quo sane multi Massilienses, meo iudicio contenti essent: quia illi solum volebant absurdam illam vitare, quæ sequi videbantur, si Deus præueniret omnem nostram sollicitudinem: hæc autem tollebant concedendo vel minimum aliquod initium ex nobis. Quod si dicas illam remotam dispositionem ad gratiam adquirendam nihil con-

ferre, frustra ipsam appellas dispositionem ad gratiam: quia non dicitur dispositio ad aliquam formam, quæ ad illius ademptionem nihil conducit. Quomodo autem concedi possit sine errore aliquid ex dono creationis dispositio, non ad gratiam, sed ad hoc, quod gratia in nobis melius, & facilius operetur, dicemus infra disput. 97. Id quod non solum cum Massiliensium errore commune nihil habet, verum etiam est manifesta Aug. doctrina, ut ibidem ostendimus. Non igitur curant Massilienses de operibus supernaturalibus, sed cõsentunt, si aliquid boni ex nobis præcedat, cuius intuitu Deus gratiam suam largiatur.

Quare, cum Augustinus in opere de prædest. Sanctõrum contra has omnes obiectiones Massiliensium ostendit, nullum ex nobis esse exordium gratiæ; negat non solum fidem, & operta virtutis infusæ sed etiam moralis acquisitæ. Id quod aperte lib. 4. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. testatur his verbis. Cum ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantum ad capeßendam perfectionem adiuuatur, quod ipse posuisti utique volens intelligi eum posse incipere sine gratia, quod perficit gratia, sed potius quod apostolus loquitur, ut qui in nobis opus bonum cepit, perficiat vique finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriarì; ac si priorem dare, ut retribuat illi, eoque modo gratiam iam non sit gratia, quia non est gratuita. Ecce vniuersum damnat Aug. initium aliquod generosi animi, cui gratia donetur. Eßet autem procul dubio aliquod huiusmodi exordium ex nobis, si bonum aliquod opus morale facientes gratiam Dei nobis impetretimus: tale enim opus, nimirum moralis virtutis, ut pudicitie coniugalis, contendebat Iulianus ex nobis esse initium gratiæ acquirendæ.

Et lib. 1. ad Simplician. q. 2. ante medium ostendit, nullum fuisse opus ex parte nostra, quod respiciens Deus, elegerit nos ad gratiam suam, sicut de Iacob, & Esau dictum erat; Cum nondum quidquam boni, aut mali egissent, ut propterea gratiam Dei, eiusque electionem consequerentur: sed Deum misericordia sua facere, ut homo credat, & ut misericors sit: & concludit his verbis, Unde admonemur, nec ipsis operibus misericordiam quam oportere gloriarì, & extolli, quod eis quasi suis tu Deum promerueris, quandoquidem, ut habet ipsam misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fueris. Quod si eam credendo se meruisse quis iactat, nouerit eum sibi præstasse, ut crederet, qui misericors inspirando fidem. Vbi non loquitur August. de merito digno æternæ vitæ, sed de impetratorio, quo aliqui putabant, ex proprijs viribus nos mereri gratiam & misericordiam Dei erga nos; hoc est, quod ait, nos promereri nobis Deum, hoc est, gratiam illius, neque vero excludit hæc opera ex nobis à ratione meriti, quia condigna non sunt, sed quia illa etiam à Deo accepimus per misericordiam, & gratiam ipsius; cūque dicat non esse gloriantium operibus misericordiam, quasi his Deum, hoc est, gratiam & misericordiam suam nobis promeriti fuerimus: eadẽ ratione excludit omne opus morale ex nobis quod sit meritum impetratori gratiæ.

Hæc autem est ratio, ob quã Concil. secundum Arausic. can. 6. excludit omne exordium ex nobis, cum ait, eos, qui obedientie humane subiungunt, quid gratiam, contradicere Apostolo dicenti: Quia habes, quod non accepisti? Si enim quis obedientia,

& labore humano sibi impetrat gratiam; recte posset in aliquo sine Christo plurimum gloriari: eodemque modo posset, qui operibus moralibus gratiam aliqua ratione consequeretur. Idem ergo definit Concil. de his operibus, atque de quibuscumque alijs. Neque enim damnat Semipelagianos & Massilienses, quod dicant opera, quae Scholastici vocant supernaturalia, quaeque altioris ordinis sunt, ex proprijs viribus fieri, sed quod affirmant, nos incipere, & nostris operibus gratiam Dei obtinere: id quod tam absurdum est, intelligere de moralibus operibus, atque de alijs: utroque enim modo inferrent Patres, gratiam non dari ex misericordia, sed retribui ex gratitudine, vt c. 15. videbimus.

Demum idem August. in eadem quaestione ad Simplician. circa finem de electione ad gratiam inquit, Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, sit ad examen huius electionis aliqua cogitatione premittor, nisi vel maius ingenium, vel minus peccata, vel utrumque, addamus etiam, si placet honestas, vitalesque doctrinas. Quisquis ergo facit quam minimam peccati mercedem, nam nullus quis potest? & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuerem, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, vt eum intuens putare correctus ego irideam multos, & pra quibusdam peccatoribus castiores & pra quibusdam piscatoribus eratores, haec Aug. Ideo autem illos irideret, quia cum essent castiores, relictis fuissent, peccatores vero, & meretricis electi: & cum essent oratores, & eloquentia praediti, relictis essent, electi vero rudes piscatores. Cum autem dicit nihil posse praecedere, nisi aut maius ingenium, & meliorem indolem, aut pauciora peccata, aut honestas disciplinas humanas, & nihil horum posse eligi ad gratiam; absque dubio excludit omne exordium, quantumvis minimum ex nostris viribus, etiam moralium operum, & in solam Dei voluntatem refert hanc electionem. Cum autem negat exordium in praesentia, vt ab aeterno eligantur, negat etiam in tempore, vt gratia propter illud donetur. Eandem enim esse rationem, & donationis in tempore, & electionis in praesentia, saepius inculcatum est.

His accedit Concil. Valent. sub Lothario Imperatore cap. 3. vbi ait, Fatemur praedestinationem electorum ad vitam & praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum. Vbi misericordiam gratiae Dei priorem esse putat, quam praesentiam meritum ex nobis; & cum misericordiae Dei tribuat praedestinationem, plane excludit omne etiam minimum meritum, vt cap. 15. probabitur.

Vltimo denique Patres praedictos contra Massilienses non solum exclusisse meritum condigni, sed quodvis minimum meritum, etiam impetratorum: praeterea Massilienses non errasse, quod dicerent gratiam esse promissam, & ratione promissionis negari non posse laborantibus, & ex se incipientibus, constat ex ijs, quae diximus disputatione 89. c. 5. nam Massilienses nunquam concesserunt meritum condignum, sed remotam occasionem aliquam, seu impetrationem, quam Deus ex misericordia sua promoueret, vt dixit Cassianus 12. de institutis conuictorum cap. 13. & 14. vt aliquo modo electio ad gratiam, & donatio illius ex arbitrio penderet, sicut ex Cassiano ibi manifeste desiquet in 1. pars Tomus.

diximus. Quare nullus probatus auctor Massilien. notant, quod asserent gratiam dari nobis ex promissione, & pacto Dei propter opera ex nobis; sed simpliciter, quia daretur intuitu operum & rationes, quas cap. 14. & 15. asseremus etiam probasse, ex sententia Patrum gratiam non dari ex liberalitate propter aliqua opera liberi arbitrii. Porro operibus moralibus promissam esse aliquam gratiam Dei, videbimus infra cap. 16. De Concilio vero Valentino idem patet. Nam cum illud congregatum fuisset, vt causam Episcopi illius civitatis Patres ibi definirent, placuit statim pauca fidei documenta adicere, & in primis de praesentia, & praedestinatione, eo quod, vt dicitur in primo capite animi quorundam fratrum scandalum pariebantur, permanebant enim adhuc reliquiae illae Pelagianorum, quae ceperunt tempore Cassiani, & diu in Gallia vixerunt. Et haecenus auctoritate Patrum probata manet in vniuersum sententia Catholica, quam cap. 11. proposuimus.

CAPVT XIII.

Eadem veritas Scripturae testimonijs confirmatur.

Scripturae quoque testimonijs monstrari potest, nullum omnino ex libero arbitrio initium esse, etiam moralis operationis, propter quod Deus gratiam suam nobis largiatur, & praeter ea quae cap. 15. referemus, quibus id plane probatur, est in primis locus Augustino satis familiaris *O homo, quis est, qui te discernit, quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?* quem latissime explicat 1. de praedestinatione sancti. c. 4. & 5. & ex eo probat neque sine, neque aliquo bono opere ex se ipso vnum ab alio, sed sola Dei misericordia discerni. Colligit autem hoc modo. Cum inter Corinthios exorta fuissent quaestiones quod vnus diceret, se esse Cepha, alter vero se esse Apollo, & sic vnusquisque in homine praepatore suo gloriaretur, volens Apostolus horum schisma reprimere, cap. 3. explicat quid fuerit Petrus, seu Paulus, & Apollo, vt Corinthijs fides, & iustitia infunderetur, & in eis germinaret. Dicit ergo fuisse ministros tantum, sicut est ille, qui exterius rigat, Deum autem auctorem esse, qui interiorius incrementum dat. & post multa colligit Aug. hoc modo. Nemo itaque gloriatur in hominibus. Ex quo etiam infert, nulli in seipso gloriandum esse. Deinde c. 4. eandem sententiam prosequens suadet, ne vnus aduersum alium in seipso pro alio, hoc est, pro praepatore suo, contendens se meliorem habere Doctorem, subiungit causam. *Quis enim te discernit & c.* Quibus verbis, vt ait Aug. cap. illo 5. contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, ac proinde nec in seipso, sed in Domino gloriatur. Quod si aliquis ex se haberet fidem, aut opus morale, quo gratiam a Deo consequeretur, seipsum ab alio sine gratia Christi solo dono creationis discerneret, & in eo posset saltem sine Christo gloriari, tamen non sine Deo, qui per creationem auctor est omnium. Adduci etiam solet illud, *Antequam quidquam boni, aut mali & c.* & illud *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est.* Verum horum locorum ampliolem explicationem trademus d. 95. c. 8.

Clarissime vero idem probatur, illis verbis *Dicit itaque mihi: quid adhuc queritur, vobis cap. 9.* Dicit itaque mihi: quid adhuc queritur, vobis.